

gratiã nepotis, quãdo meo parenti adoptionis gaudia præstitistis. Introducamur & in vestram mentem, qui adepti sumus regiam hæreditatem. Illud est mihi supra dominatum, tantum ac talem rectorem habere propitium. Primordia itaque nostra solatia mereantur principis longæui habere: Pueritia tuitionem gratiæ consequatur. & non in totum à parentibus destituimur, qui tali protectione fulcimur. Sit nobis regnum nostrum vinculis gratiæ obligatum. plus in illa parte regnabitis, vbi omnia caritate iubetis, & hæc Cassiad. in Athalarici nomine Iustiniano Cæsari conscripta. Ex quibus perspicuè cognoscitur illum nepotem fuisse Iustiniani imperatoris, ex adoptato ipsius parente, illumque puerum tunc fuisse. Hinc suspicor hanc imaginem potius fuisse Athalarici, quàm Iustiniani, cum sit puerilis, nec quicquam simile habeat, cum imagine Iustiniani, quam multoties vidi. Notas autem sic legi posse, ex his, quæ partim supersunt corrosis, conijcio. IMP. IVSTINIANI NEPOS. à tergo autem (vt supra dixi) DN. ATHALARICVS REX. Sed fortè aliquis damnabit hanc nostram coniectionem, quia, cum moris sit, vt in veterum nummis in primo orbe, in quo imago imperatoris aut regis ponitur, nomen etiam eorundem eo loco ponatur, in hoc aliter sit. huic obiectioni sic responderi à nobis posse credo. Primum enim ità in numo scriptum est, & ità Numisma effectum fuit, vt posterior pars in oleagineo circulo Athalarici nomen repræsentaret. quod ideo factum opinor propterea quòd angustus nummuli orbis esset. Nam perbreue fuit numisma, & adeo paruulum, vt auricularis digiti non excederet vnguiculum. Ideo in posteriorem locum numismatis translata sunt notæ. his credo satisfactum obiectioni, si quis aliter sentiat, & meliores rationes afferat, herbam illi (vt est in prouerbio) & cespitem cum gleba porrigam. Huius autem regis Gotthorum plures extant epistolæ apud Cassiadorum lib. viij. & lib. ix. variarum ad plures conscriptæ. de gestis autem ipsius Athalarici, qui Amalasiunthæ fuit filius, Diaconus, Procopius, Ablaius, Suidas, Otthophrym singensis, Sabellicus, Franciscus Irenicus lib. vj. GERMANIAE exegeleos, & nuper episcopus quidam Gotthus in lib. Gotthorum, Vandalorum, Ostrogotthorum, Visogotthorū, & Langobardorum Iulio iij. P. M. dicatis meminerunt. quæ omnia breuitatis causa omitto. Illam interim hoc loco inscriptionem non præteriens, quam superiore anno Ticini ex vetusta tabella marmorea arripui, quæ ad euntibus portam Templi diui Secundiani publicè se offert, hisque verbis legitur, DN. ATALARICVS REX GLORIOSISSIMVS HAS SEDIS SPECTACVLI ANNO REGNI SVI TERTIO FIERI FELICITER PRECEPIT. ex his autem notis illud in marmore animaduertendum, Atalarici nomen absque flatili litera esse scriptum, quod aliter in numismate cum aspirata litera adparet. Memini autem me, cum exciperem has notas, tunc videre in proximo pariete eiusdem templi diui Secundiani, statuam marmoream regis in solio sedentis,